



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CCXXIV. Marcellus II. Anno Christi 1555. Caroli V. Imperatoris 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

(3) Id Seminarium seu Collegium Germanicum, uti appellant, regia deinde et planè Apostolicà liberalitate ditavit & auxit Gregorius XIII. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib. 13. extremo capite §.

CCXXIV.

MARCELLUS II.

ANNO CHRISTI 1555.

CAROLI V. IMPERATORIS 37.

MARCELLUS II. *Cervinus* Politanus Roberti Cardinalis Bel-

larmini avunculus, fulgens adhuc

legatione ad Concilium Tridentinum

Pauli III. nomine, anno 1555. V.

Idus April. Pontificatum obtinuit

ingenti bonorum omnium gaudio.

(1) Verum brevi ea lætitia cunctis

evanuit. Siquidem *altero & vicesimo*

die Pontificatus, anno ætatis quin-

quagesimo quarto apoplexiâ oppres-

sus, Kal. Maji decessit. Calamita-

tem hanc tota Romana Civitas tulit

acerbissimè. Tantam Marcellus fe-

cerat suæ expectationem. Nomen

non mutavit ductus pietate erga in-

clytum Pontificem & martyrem S.

Marcellum I. (2) Contestabatur, se

nun-

Rayn. an.
1555. §.
13. 14. 16
18. 20.
Spond.

§. 5. 6. 7.

nunquam permiffurum, ut quibus demandata effet cura animarum, ii ab fuis Ecclefiis abeffent, aut politica munia obirent. Quare *Laicis* mandare decreverat Reipublicæ pro-
curationem. Confanguineis adeo nihil indulfit, ut neminem ex iis, ne fratrem quidem, Romam venire paffus fit, duosque Nepotes, quos in Urbe educabat, ab nemine officii causâ conveniri voluerit, nec in conspectum suum Pontificatûs tempore unquam admiserit. (3)

ANNOTATIONES.

(1) Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. XV. & XVI. cap. 1. art. 17. Marcello vitio vertit P. Suavis magnam quandam genethliacæ artis fiduciam, quâ sibi Summum Pontificatum, de eo palam locutus, & in ipso postea diuturnitatem, rerûmque, quas apud se digesserat, successum spopondisset; in quibus ab inopinato vitæ exitu illico se delusum agnoverit. Sed Suavem mendacii convincit Cardinalis Pallavicinus lib. 13. Hist. Conc. Trid. cap. 11. tum ex Marcelli vita

N n n 4 ante

antè acta, quæ summis Christiana Reipublicæ impensa negotiis, in quolibet curricula sui vestigio nonnisi prudentiam, maturitatem, animique soliditatem ostendit: & quodd in Narrationibus de brevi ipsius Pontificatu editis, ne una quidem vocula deprehendatur, quæ hanc laudem offuset, tum ex epistola Seripandi Salernitani Archiepiscopi ad Camajanum Festinum Episcopum 9. Maji anno 1555. data. In ea epistola is narrat, cùm sæpius intento animo res à Cervino gestas recolisset, hanc secum ratiocinationem habuisse: Si Cervinus ad Pontificatum aspirabat, & simul ità se gerebat, omnium mortalium hebetissimus erat: si apicem illum ascendere hic curabat studio virtutis, non tam homo erat, quàm Angelus humanæ specie indutus. Illi nimirum eâ ætate quadrabat, quod olim de Catone dicebatur: O te felicem Marce Porci, à quo nemo audet quidquam inhonestum petere! Atqui post longissimam cum Cervino familiaritatem, quo pacto potuisset ità ratiocinari Seripandus, si palam ille, ut pro certo Suavis assumit per Astrologicas observationes Pontificatum sibi prædixisset? Denique

Denique Suavis calumniam refellunt Scriptores illustres, qui Marcelli II. sanctitatem prædicant.

(2) Hanc rem P. Suavis, ut est apud Pallavicinum lib. 13. Hist. Conc. Trid. cap. 11. num. 2. admiratur tanquam novam & inusitatam Prorsus ineptè; cum paulò antè Hadrianus VI. Oratoris Cæsarei persuasione pristinum *Hadriani* nomen retinuerit, ductus virtutibus & famâ Pontificum ejus nominis. Nec minùs idem obtrectator ineptit, cum morem nominis mutandi à Romanis Pontificibus servatum carpit tanquam ambitiosum. Nemo enim ipso meliùs scire debuit, *Fratres* ipsos, qui quidem *humilitatem* eximiam profitentur, eandem consuetudinem servare. Et verò *humilitas*, non superbia Romanorum Pontificum nominis mutandi morem induxit, ut animadvertit Baronius ad an. 1009. §. 3. & colligitur ex epitaphio Sergii IV. apud eundem Baronium ad an. 1012. §. 1. Is enim omnium primus, cum Petrus diceretur, nomen mutavit, quòd non auderet nomen gerere Apostoli, quem Christus ipse primum suum in terris Vicarium constituerat. Vide annotat. 1. ad Sergium II. & annotat. 2. ad Joannem XII.

(3) *Interpellatus, an in Palatium ex privatis ædibus ducendi essent*: Quid, inquit, illis cum Palatio? eorumne id patrimonium est? Spondanus ad an. 1555. §. 6.

N n n 5 CCXXV.